

COLLOQUIUM II.

De continua serie Episcoporum, qui præcipuas Ecclesie Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam in tribus primis sæculis rexerunt.

M. Chronologia Pontificia, cum sit Historia Ecclesiastica pars maxime necessaria, accurate, quantum fieri potest, præfigi debet. Alioquin, quid, amabo, certi in Historia Ecclesiastica esse poterit, si tenebrarum, & confusio- nis plena sint tempora, nec quot quisque Pontifex Romanus annis federit, ac quando Pontificatum inierit & Ecclesiam regendam suo Successori reliquerit, compertum sit, atque exploratum? Idem esto iudicium de serie Episcoporum, qui præcipuas Ecclesie Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam tenuerunt. Nisi enim hæc Episcoporum series accurate, uti par est, textatur, incerta, & tenebris obita remanebunt tempora, nec ullus plane inuenietur, qui Historiæ Ecclesiasticæ studiose in tanta rerum caligine oberranti facem præferre valeat. Quocirca, ut major lux affundatur Historiæ Ecclesiasticæ, debemus sedulo investigare, præfigere, & in optimo lumine collocare seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesie Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam tribus primis sæculis occuparunt. Ordinem autem ab Ecclesia Romana, quæ Caput est, & Mater omnium Ecclesiarum.

D. Primum Ecclesie Romanæ Summum Pontificem fuisse S. Petrum Apostolorum Principem, & Christi in Terris Vicarium, lippis ac tonforibus notissimum esse certissime scio. Ast non ita certa est, atque perspicua series Pontificum, qui, post Sanctum Petrum, Ecclesie Romanæ Clavum gubernarunt. Vellem igitur, ut me impræsentiarum edoceres seriem, & nomina Summorum Pontificum, qui in tribus primis Ecclesie sæculis Sancto Petro successerunt, nec non annos, per quos quisque Pontifex Sedem Romanam tenuit.

M. In hac describenda serie Summorum Pontificum, qui in tribus primis Ecclesie Sæculis Sedem Romanam tenuerunt, Ducem sequar Clarissimum, & de Historia Ecclesiastica optime meritum Patrem *Antonium Pagium*, qui in sua Critica Baronii, Eminentissimi Annalium Parentis, librum Pontificalem, qui *Anastasio* Bibliothecario, Noni Sæculi Scriptori, vulgo tribuitur, & in quo veterum Pontificum Romanorum textitur Catalogus, a multis mendis, quibus ante hac scatebat, repurgavit ad normam decem veterum Pontificum Catalogorum, qui necdum fuerant editi, quique in Bibliothecis Regis Christianissimi, Colbertina, & Thuanea asservantur. Porro annum, quo vel Summi Pon-

tifices inierunt Pontificatum, vel e vivis excesserunt, nota Consulibus indicabo, quia ut optime ait doctissimus *Annalium Ecclesiasticorum Scriptor Baronius* ad annum Christi 69. num. 36. *Tempora adnumerata per consules libentioribus sunt accipienda auribus, cum ceteris illa frequentior, liberatior, & noscatur Chronographia, atque in usum frequentiore accepta, que a fastis deducta est Consulibus.* Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis Scriptoribus interdum invenimus esse Consulibus consignata, magno afficimur gaudio, proinde ac si fax aliqua in tenebris oberranti ex optato præfulgeat. Hoc pacto Historiæ Ecclesiasticæ veritati consulamus, cujus fides periclitatur, quando non sibi constat ratio temporum. *Ubi temporum ratio non coheret, ibi ne Historia quidem vera esse potest,* ait *Turrianus* Oratione adversus Græcos tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-latina. Rem igitur aggrediamur.

(a) Pontificum Romanorum primi sæculi chronologia ita est implexa, ut nemo sit, qui se illam feliciter extricasse jure meritoque gloriatur. Fateor equidem vetustissimum Romanorum Pontificum catalogum e *Vindobonensi* Bibliotheca erutum a *P. Bucherio* editum, lucis aliquid asserre inter has tenebras posse, ac re ipsa eo usos recentiores Chronologos, Pagiumque demum sat constat; verum cum hujus catalogi duæ sint partes, altera, quæ usque ad Pontianum decurrit; altera quæ inde usque ab *Liberium* pertingit, prioris partis tanta sunt menda, adeo omnia turbata, ut nihil illi fidei quoad Pontifices priorum sæculorum præstari possit. Inferre hinc licet multo conducibilius esse nihil ea in re tentare, atque omnia in medium relinquere. Vide *Tillemont.* nota 11. ad *S. Clementem*.

Neque est cur multum deferatur aliis recentioribus catalogis a *Pagio* editis, quorum ope emendaturum se menda catalogi *Bucheriani* *Pagius* ipse speravit, cum illa omnia multo inferioris sint antiquitatis & meriti, quam sit *Bucherianus*, nec ulla ratione demonstrari possit melius ab illis veritatem attingi. Insuper Consulibus nota, quæ in *Bucheriani* priori parte legitur, ab auctore catalogi illius per conjecturam potius, quam ab historico, comperta narrante posita ab eruditis creditur. Vid. *Tillemont.* ibid.

Demum *Cleti* ab *Anacleto* discrimen testimonio vetustissimorum omnium Scriptorum *Irenæi*, *Eusebii* &c. nullum est.

Sanctus Petrus, qui primus in Ecclesia Romana Pontificatum gessit, sedit, juxta Authorem *Chronici Damasi*, annis viginti quinque mense uno, & sub Nerone martyrium fecit die XXIX. mensis Junii anni Christi, ut censet *Cl. Pagius* sexagesimi quinti, vel ut ipse probabilius autumo, sexagesimi sexti, Consulibus *C. Lucio Telesino*, & *C. Suetonio Paulino*. *S. Petro* successit *Linus*, qui ad Cælestem Patriam migravit, non quidem anno Christi 77. ut *Baronius* existimavit, sed anno Christi 67. ut liquido colligitur ex *Chronico Damasi*, in quo sic legitur: *Linus sedit annis duodecim mensi-*

mensibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus *Neronis a Consulatu Saturnini*, & *Scipionis*, usque *Capione*, & *Ruso*. Ex quo liquet, *Linum* obiisse anno Christi LXXII. qui notatur Consulatu *Fontej* *Capitonis*, & *C. Julii Ruffi*. Observat tamen *Doctissimus Pagius* in *Chronicon Damasi*, circa annos Pontificatus *Linii* irrepsisse mendam: nec enim legendum est: *Linus sedit annos duodecim &c.* sed melius cum auctori *Chronico veterum Pontificum* sic legendum est: *Linus sedit annis XI.* nam ab anno Christi LVI. quo Consules fuerunt *Saturninus*, & *Scipio*, usque ad annum Christi LXXII. quo Consules fuerunt *Fontej* *Capito*, & *C. Julius Rufus*, non anni duodecim, & quatuor menses fluxerunt. Quapropter, ut *Chronico Damasi* sua constet veritas, dicendum est, *Linum* per decem annos, hoc est ab anno Christi 56. usque ad annum Christi 66. quo sub Nerone cæsus est *S. Petrus*, fuisse *S. Petri* in Sede Romana Vicarium, sicut tradiderunt bene multi Sancti Patres, eumque, mortuo *S. Petro*, ab anno Christi LXVI. usque ad annum LXXII. Pontificatum tenuisse.

Lino successit *Clemens*, ut testatur *Tertullianus* lib. de Præscript. Hæret. cap. 32. & vetustus Author Constitutionum Apostolicarum. Sedit autem *Clemens*, Ecclesiamque Romanam rexit usque ad finem anni Christi LXXVI. sic enim legitur in *Chronico Damasi*: *Clemens annis novem, mensibus undecim.* Fuit temporibus *Galbe Vespasiani*, a Consulatu *Trachali*, & *Italici*, usque *Vespasiano VII.* & *Tito Casare V.* *Clemens* itaque anno Christi LXXVI. *Lino* successit, & Ecclesiam rexit ad finem anni Christi LXXXVI. quo Consules fuerunt *Vespasianus Augustus VII.* & *Titus Casar V.*

Clementi successit *Cletus* juxta *Chronicon Damasi* anno Christi LXXXVII. Consulibus *Vespasiano Aug. VIII.* & *Tito Casare VI.* Sedit annis sex, mensibus duobus, diebus septem, & migravit ad Dominum anno Christi octogesimo tertio, qui Consulatu *Domitiani Augusti IX.* & *Petillii Ruffi II.* insignitur.

Cleto substitutus est *Anacleto*, qui, ut legitur in *Chronico Damasi*, sedit annis XII. mensibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus *Domitiani*, a Consulibus *Domitiano X.* & *Sabino*, usque *Domitiano XVII.* & *Clemente*. *Anacleto* igitur in locum *Cleti* susceptus est anno Christi octogesimo tertio, quo *Domitianus IX.* & *Rufus II.* Consules designantur. Nam, ut optime observat *Pagius* ad annum Christi 101. in *Chronico Damasi* Pontificatus Successoris inchoatur a Consulibus, qui post mortem Decessoris annum aperuere, unde in eo dicitur, *Anacleto* iniisse Pontificatum *Domitiano X.* & *Sabino* Consulibus, qui annum Christi octogesimo quartum aperuere, quamvis revera *Anacleto* successerit *Cleto* anno præcedenti Consulibus *Domitiano IX.* & *Ruso II.* obitus *Anacleto* incidit in annum Christi nonagesimum quintum, quo Consules fuerunt *Domitianus XVII.* & *T. Flavius Clemens*.

Anacleto successit *Evaristus*, qui Pontificatum iniit anno Christi nonagesimo quinto, & martyrio fuit coronatus anno Christi CVIII. Consulibus

Ap. Anno Treboniano Gallo, & *M. Attilio Marcellino Bradua*. Sic enim legitur in *Chronico Damasi*: *Evaristus annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus.* Fuit temporibus novissimis *Domitiani*, & *Nervæ a Consulatu Valentis*, & *Veri*. (legendum Veteri) usque *Gallo*, & *Bradua*. Irrepsit tamen in *Chronicon Damasi* error circa annos Pontificatus *Evaristi*. Loco siquidem tredecim annis, legendum est, annis duodecim, ut Consulatus, sub quo *Evaristus* Pontificatum iniit, & Consulatus, sub quo vivere desit, aperte evincunt. *Evaristus* quippe Pontificatum iniit anno Christi nonagesimo quinto, *Domitiani XVII.* & *Flavii Clementis* Consulatu notato, obiitque anno Christi CVIII. mensibus, & diebus incertis, Consulibus *Gallo*, & *Bradua*.

Mortuo *Evaristo*, *Alexander* anno Christi CVIII. ad Ecclesiam Romanæ gubernacula admotus est, qui juxta *Chronicon Damasi* sedit annis octo, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus *Trajanis*, a Consulatu *Palma*, & *Tulli*, usque *Æliano*, & *Vetere*. Ex quo apparet, *Alexandrum*, qui Pontificatum obtinuit anno Christi CVIII. *Cos. Gallo*, & *Bradua*, Martyrium subisse anno Christi CXVI. *Cos. Ælio Lamia*, & *Æliano Vetere*.

Alexandrum Sixtus Primus excepit, qui anno cxxvi. vita functus est. Sic enim legitur in *Chronico Damasi*: *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus vigintiuno.* Fuit temporibus *Hadriani a Consulatu Nigri*, & *Aproniani*, usque *Vero III.* & *Ambibulo*, qui Consules fuerunt anno Christi cxxvi. *Sixtus* itaque *Primus* eodem anno, quo *Alexander* e vivis excessit, seu anno CXVI. Pontificatum iniit, & ad Deum migravit anno Christi cxxvi.

Sixto successit *Telesphorus*, qui sedit annos undecim, mensibus tribus, diebus tribus, & martyrium passus est anno Christi cxxxvii. ut videre est in *Chronico Damasi*; in quo sic legitur: *Telesphorus annis undecim, mensibus tribus, diebus tribus.* Fuit temporibus *Macrini* (legendum *Hadriani*) a Consulatu *Tiviani*, & *Gallicani*, usque *Casare*, & *Balbino*, qui Consules fuerunt anno Christi cxxxvii. Quapropter *Telesphorus* Pontificatum suscepit anno Christi cxxvi. & obiit anno cxxxvii. qui *Lucii Casaris II.* & *P. Cælii Balbini Vibulii* Consulatu notatur.

Eodem anno Christi cxxxvii. Romanus Pontifex inauguratus est *Hyginus*, qui annos dumtaxat quatuor sedit, sicut legitur in auctori *Chronico veterum Pontificum*, in Codice *Palatino-Vaticano*, in *Chronico*, & in *Historia Ecclesiastica Eusebii*. Cum igitur *Hyginus* fuerit Pontifex ordinatus anno Christi cxxxvii. obiit anno cxli. quo Consules fuerunt *Peduceus Syloga Priscinus*, & *T. Henius Severus*. Manifestus igitur error irrepsit in *Chronicon Damasi*, in quo sic legitur: *Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex.* Fuit temporibus *Veri*, a Consulatu *Gallicani*, & *Veteris*, usque *Præsente*, & *Rufino*. Hic, inquam, manifestus occurrit error. Nam, ut mox observavi, *Telesphorus* Decessor *Hygini* obiit anno Christi cxxxvii. at Consulatus *Gallicani*, & *Veteris* incidit dumtaxat in annum CL.

Consulatus vero *Presentis*, & *Rufini* connectitur cum anno Christi *CLIII*. ex quo plane sequitur, Chronicon Damasi hac in parte mendosum esse, ac interpolatum.

Anno *CLII*. *Pius* in Pontificatu successit *Hygino*, & sedit per decem annos, menses quatuor, dies tres, ac subinde mortuus est anno Christi *CLII*. *Quintillii Condiani*, & *Quintillii Maximi* Consulatu insignito. Unde corruptum est per hæc tempora Chronicon Damasi. In eo quippe deest *Anicetus*, & de *Pio* Pontifice hæc leguntur: *Pius annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, a Consulatu Clari, & Severi usque diebus Augusti*. At *Pium* non annis viginti, sed tantum decem, & aliquot mensibus sedere potuisse, ex eo maxime liquet, quod anno *IV*. *Antonini Pii* Imperatoris fuit electus Pontifex. *Anicetus* vero *Pii* Successor eodem imperante *Antonino*, Pontificatum gessit. Si autem *Pius* sedit annos viginti, non potuisset *Anicetus*, imperante *Antonino*, Pontificatum gerere, quia *Antoninus Pius* post *Hadriani* mortem imperavit dumtaxat annos *XXII*. menses *VII*. dies *XXVI*.

Mortuo *Pio* Papa, in ejus locum assumptus est *Anicetus* anno Christi *CLII*, qui per decem annos Pontificatum tenuit, & obiit anno Christi *CLXI*. quo Consules fuerunt *M. Aelius Aurelius Verus* *Cæsar*, & *L. Aelius Commodus II*.

Eodem anno *CLXI*. *Aniceto* Papæ demortuo successit *Soter*, qui sedit annos novem, & aliquot menses, ac dies, & obiit anno Christi *CLXX*. *Cornelii Cethegi*, & *C. Erucii Clari* Consulatu insignito, ut legitur in auctiori Chronico Veterum Romanorum Pontificum. Chronicon siquidem Damasi depravatum esse observat *Cl. Pagius* ad annum Christi *LXXVII*.

Mortuo *Aniceto* anno Christi *CLXX*. successit *Eleutherus*, qui secunda die mensis *Maji* ejusdem anni fuit inauguratus Pontifex, & ad Deum migravit die *XXV*. mensis *Maji* anni *CLXXXV*. *Materii*, & *Bradæ* Consulatu notato, postquam sedit annos quindecim, dies viginti quatuor.

Eodem anno Christi *CLXXXV*. in locum *Eleutheri* subrogatus est *Victor*, qui sedit annos duodecim, mensem unum, dies sedecim, & e vivis obiit anno Christi centesimo nonagesimo septimo, quo Consules fuerunt *Claudius Lateranus*, & *Titus Rufinus*.

Zephyrinus eodem Christi anno *cxvii*. successit *Victori* Papæ, & mortuus est die decima *Julii* anni Christi *ccxvii*. quo Consules fuerunt *C. Bruti Præsens*, & *T. Messius Extricatus II*. postquam sedit annos novemdecim, menses undecim, dies quinque.

Zephyrino successit *Callixtus*, qui Pontificatum inivit die *18*. mensis *Julii* anni Christi *ccxvii*. sedit annos quinque, menses duos, dies decem, & in vivis esse desit anno Christi *ccxxii*. qui in Fastis notatur Consulatu *M. Aurelii Antonini* *Elagabali* *Aug. IV*. & *M. Aurelii Severi* *Alexandri* *Cæsaris*.

Urbanus successor *Callixti* mense *Octobri* anni Christi *ccxxii*. Pontificatum inivit. Sedit annos

septem, & aliquot menses, ac dies, & tandem anno Christi *ccxxx*. *L. Virii Agricola*, & *Sex. Gaii Clementini* Consulatu notato, mortalitatem explevit.

Pontianus successor *Urbani* die vigesima secunda mensis *Junii* anni Christi *ccxxx*. ordinatus fuit Pontifex, & die *XXVIII*. mensis *Septembris* anni *ccxxxv*. *Coss. Severo*, & *Quintiano* obiit. Sedit igitur *Pontianus* annos quinque, menses tres, & dies septem, a die nempe *XXII*. mensis *Junii* anni *ccxxx*. usque ad diem viciesimam octavam mensis *Septembris* anni *ccxxxv*.

Anterus successit *Pontiano* die vigesima prima mensis *Novembris* anni Christi *ccxxxv*. & excessit e vivis die tertia mensis *Januarii* anni *ccxxxvi*. *Coss. Julio Vero Maximino* *Aug.* & *Julio Africano*. Sedit *Anterus* mensem unum, & dies tredecim, die emortuali excluso.

Fabianus post mortem *Anteri* fuit ordinatus Romanus Pontifex die *XI*. mensis *Januarii* anni Christi *ccxxxvi*. & mortem pro Christo oppetiit die *XX*. mensis *Januarii* anni *ccl*. sub Consulatu *Decii II*. & *Grati*. Unde sedit annos *xiv*. & dies *X*.

Sublato e vivis *Fabiano* anno Christi *ccl*. vacavit Sedes uno anno, hoc est, usque ad annum *ccli*. quo *Cornelius* ad Pontificatum fuit electus. Consulibus *C. Trajano Decio* *Aug. III*. & *Q. Herennio Hetrusco Decio* *Cæsare*, & postquam sedit unum annum, menses tres, dies decem, migravit ad Dominum *Centumcellis*, die quarto mensis *Septembris* anni Christi *ccli*. Consulibus *C. Vibio Treboniano Gallo* *Augusto II*. & *C. Vibio Volustiano* *Cæsare*.

Post diem decimum quartum mensis *Septembris* ejusdem anni *ccli*. *Lucius* fuit Romanus Pontifex consecratus. Dies ejus Ordinationis, duratio Sedis, ejusque post *Cornelii* obitum vacatio in obscuro sunt. Probabilius tamen cum *Pearsonio*, & *Pagio* censeo, *Lucium* Romæ Pontificem ordinatum fuisse die *XXV*. mensis *Septembris* anni *ccli*. eumque menses quinque integros, dies decem sedisse, & mortuum fuisse die quarta mensis *Martii* anni insequentis, seu anni Christi *celi*. quo *Coss. fuerunt* *C. Vibius Volustianus* *Aug. II*. & *M. Valerius Maximus*.

Post *Lucii* obitum vacavit Sedes menses duos, dies sex. Die autem decimo tertio mensis *Maji* anni Christi *celi*. *Stephanus* Pontificatum obtinuit. Sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus viginti uno. Martyrium passus est anno Christi *celvii*. *P. Licinio Valeriano* *Aug. IV*. & *P. Licinio Gallieno* *Aug. III*. *Coss.*

Sixtus Papa hujus nominis *II*. successit *Stephano* die vicesima quarta mensis *Augusti* ejusdem anni *celvii*. Sedit menses *XI*. dies sex, & gloria martyrii donatus est anno Christi *celviii*. *Coss. M. Aulio Memmio* *Tusco*, & *Basso*.

Post Martyrium *Sixti*, vacavit Sedes anno ferme uno, idest usque ad diem *XI*. *Kalend. Augusti* anni Christi *celix*. Die autem vigesima secunda mensis *Julii* anni Christi *cclix*. *Emilianus*,

ni, & *Bassi* Consulatu insigniti, *Dionysius* fuit ordinatus Pontifex, & obiit die vigesima sexta mensis *Decembris* anni Christi *cclxix*. Consulibus *M. Aurelio Claudio* *Aug. II*. & *Paterno*. Sicque *Dionysius* sedit annos decem, menses quinque, dies quatuor, emortuali nempe excluso.

Sedes Romana post obitum *Dionysii* vacavit duobus diebus. Unde die vigesima octava mensis *Decembris* ejusdem anni *cclxix*. *Felix* hujus nominis Primus fuit ad Pontificatum promotus. Sedit annis quatuor, mensibus undecim, diebus viginti quinque, & mortuus est die vigesima secunda mensis *Decembris* anni Christi *cclxxiv*. *Coss. Aureliano* *Aug. III*. & *C. Julio Capitolino*.

Eutybianus successit *Felici* in Pontificatu. Sed die tantum quinta *Januarii* anni Christi *cclxxv*. quo Consules fuerunt *L. Domitius Aurelianus Augustus IV*. & *T. Avonius Marcellinus*, fuit Romanus Pontifex ordinatus. Quare post *Felici* obitum vacavit Sedes diebus tredecim. Sedit autem *Eutybianus* annis octo, mensibus undecim, diebus tribus, & mortuus est die *VII*. mensis *Decembris* anni Christi *cclxxxiii*. *Coss. M. Aurelio Caro* *Aug. II*. & *M. Aurelio Carino*. Legitur quippe in Chronico Damasi: *Eutybianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III. & Marcellini usque in diem Idus Decembris. Caro II. & Carino Consulibus. Constat autem, Carum, & Carinum Consulatum gessisse anno Christi cclxxxiii. quo vita functus est Eutybianus Pontifex Romanus.*

Post mortem *Eutychiani* vacavit Sedes dies octo. Unde decima quinta die mensis *Decembris* anni *cclxxxiii*. *Cajus* fuit ordinatus Pontifex, seditque annos duodecim, menses quatuor, dies septem, ut legitur in Chronico Damasi, & obiit die *22*. mensis *Aprilis* anni Christi ducentissimi nonagesimi sexti. *Coss. Diocletiano* *Aug. VI*. & *Constantino* *Cæsare II*.

Post obitum *Caji* vacavit Sedes duobus mensibus, & octo diebus. *Marcellinus* siquidem post *Cajum* suscepit Pontificatum pridie dumtaxat *Kal. Julias*, seu die trigesima mensis *Junii* anni Christi ducentissimi nonagesimi sexti. Sedit autem *Marcellinus* annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque, ac subinde obiit die *XXIV*. *Octobris* anni Christi *ccciv*. Consulibus *Diocletiano* *Aug. VII*. & *Maximiano Herculeo* *Aug. VIII*. Habes nunc in Compendio accuratiorem seriem Chronologicam Summorum Pontificum, qui tribus primis Ecclesie Seculis Sedem Romanam occuparunt, suaque pietate illustrarunt.

D. Nunquam igitur, ut video, tot inter persecutiones, quibus Ecclesia in tribus primis sæculis exagitata fuit, interrupta est series Pontificum, qui a tempore *S. Petri* Romanam Sedem obtinuerunt.

M. Nunquam hæc series interrupta est, singulari favente patrocinio, quo Deus Ecclesiam Sponsam suam dignatus est. Hinc optimo jure *Tertullianus* in lib. de præscript. cap. 32. efficax depromit argumentum ad oppugnandos Hæreticos, *Græves. Hist. Tom. I.*

qui hanc ab atate Apostolorum continuam in suis Ecclesiis Episcoporum successionem exhibere haud possunt: *Edant*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit autoritatem, & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesie Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyræorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habent. Eodem argumento, quod Hæreticorum jugulum petit, sapius contra Donatistas a vera Ecclesia extorres usus est *S. Augustinus* in libris, quos adversus illos lucubravit.*

D. Vim istius argumenti probe capio. At optarem, ut mihi indicares Opera, si quæ sint, ab illis trium priorum Ecclesiarum Sæculorum Romanis Pontificibus edita. Ea quibus validissima suppeditarent argumenta ad convincendam perfidiam nostri temporis Hæreticorum, qui, ut frequenter ab ipsis audiui, tria priora Ecclesiarum Sæcula plenis, ac crepantibus buccis Sæcula aurea appellatae solent, in quibus etiam, ut distitant, Apostolorum doctrina nulla adhuc erroris labe aspersa, sed pura, & illibata vigeat.

M. Certum est, quoddam esse genuinas veterum illorum Pontificum Decretales Epistolas, cujusmodi sunt Epistolæ *S. Cornelii* Papæ, quæ extant inter Opera *S. Cypriani*; Epistolæ Decretales *Julii I*. quæ referuntur a *S. Athanasio* *Apolog. 2*. Epistolæ *Liberii*, quæ a *S. Hilario* in fragmentis recensentur; Epistola Damasi ad *Illyrici* Episcopos, quam *Theodoretus* lib. 2. *Hist. Eccles. cap. 22*. excerpit, & alia ejusdem Pontificis Epistolæ, quæ Operibus *S. Hieronymi* insertæ sunt. Has, inquam, veterum Pontificum Romanorum Epistolas Decretales, quas vel laudant Sancti Patres, vel antiqui Historiæ Ecclesiasticæ Authores recensent, genuinas esse, certissime constat. Cæterum, alias Decretales Epistolas, quæ veteribus Romanis Pontificibus usque ad *Siricium* adscribuntur, supposititias esse, easque ex officina cujusdam *Isidori Mercatoris* produsse concors est omnium eruditorum hujus ætatis Criticorum sententia. Quocirca ad Apocryphorum classem ablegari debent istæ veterum Romanorum Pontificum Decretales Epistolæ, scilicet quinque Sancti *Clementis*, tres *Anacleti*, duæ *Evaristi*, tres *Alexandri*, duæ *Sixti I*. unica *Eleutherii*, quatuor *Victoris*, duæ *Zephyrini*, duæ *Callisti I*. unica *Urbani I*. duæ *Pontiani*, unica *Anteri*, tres *Fabiani*, tres *Cornelii*, quarum una inscribitur: *Charissimis, atque dilectissimis Fratribus Sanctæ Dei Ecclesie Filiis, & omnibus in Domino recta fide famulantibus. Altera: Ruso Coepiscopo. Tertia: Lupicino Viennensi Episcopo. Unica Lucii*, duæ *Stephani I*. duæ *Sixti II*. duæ *Dionysii*, tres *Felici I*. duæ *Eutychiani*, unica *Caji*; duæ

Marcellini, duæ Marcelli I. tres Eusebii, una Melchiadis, una Silvestri, una Marci, duæ Felicii II. plures denique Epistolæ, quæ adscribuntur Damaso. Ne igitur in Epistolis veterum Pontificum Romanorum hallucineris, & spurias cum genuinis eorum Epistolis promiscue confundas, oportet ut huic accuratissimo Critices disciplinæ peritorum iudicio constanter adhaereas.

D. Egredere adducor ut in eam Criticorum descendam sententiam, quæ omnem detrahit auctoritatem his veterum Pontificum Romanorum Epistolis, & haud parum favere videtur Hæreticis, qui omnem suam operam in id potissimum conferunt, ut antiquorum monumentorum, quæ Romanorum Pontificum auctoritatem, & avitam Ecclesiæ disciplinam adstruere possunt, fidem elevent, & jejunis plane, frigidisque conjecturis veritatem labefactent.

M. Bona verba quæso. His certe spuris veterum Pontificum Romanorum Epistolis non indiget Sancta Romana Ecclesia, quia ex legitimis, germanisque aliorum Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata subsistit, ut optime observat Eminentissimus Annalium Parens Cardinalis Baronius tom. X. ad annum Christi 863. Baronio succinunt doctissimi Cardinales, Perronius, & Bona, nec non Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, Sirmondus, Petavius, Labeus, Christianus Lupus, Emmanuel Schelstratus, & innumeri Catholici Doctores, quos hac in re Hæreticis patrocinari voluisse, nemo, qui micam, vel minimam rationis scintillam habeat, asserere audeat. Non inficior quidem Blondellum, Scriptorem apud Calvinistas celebrem, lato calamo probasse in libro, cui titulus est: *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes*, ejusmodi veterum Pontificum Epistolas Decretales priscis illis Pontificibus esse abjudicandas, at non ideo Blondelli sententia, quasi solos Hæreticos nacta esset patronos, proficisci debet, cum certo certius sit, id ante Blondellum animadvertisse viros apprime Catholicos, tamquæ solidis communiis rationibus, ut mox sese omnibus deridendum propinaret ille, qui detritas, & obsoletas illas merces venditare, & spurios fœtus pro genuinis obrudere vellet.

D. Cedo mihi, si placet, momenta, quibus moventur periti hujus temporis Critici, ut prædictas Epistolas Decretales priscis Romanis Pontificibus abjudicent: Audivi enim sæpius, quosdam esse intemperantioris Critices viros, qui præpostere omnia in dubium revocant, & antiqua monumenta, quæ non sunt ad ipsorum salivam temperata, adducto supercilio, & plusquam dictatoria auctoritate supposititia esse quasi e tripode pronunciant. Id genus hominum, qui novum in Ecclesiis vellent invehere Pyrrhonismum, odi, & execror. Quamobrem audire gestio argumenta, quæ in medium proferunt periti hujus temporis Critici, quæ si rem, ut dicis, plane conficiant, a me nullo negotio assensum impetrabunt.

M. Rem æquissimam postulas. Absit enim ut

hos imitari velim Pseudo-Magistros, qui inflati typho superbiæ omnia, etiamsi certissima, antiquitatis monumenta, eo solo nomine falsi insimulant, quia *Magister dixit*, vel rationes, si quas producant, instar aranearum telæ adeo leves sunt, ut unico flatu confestim exsufflari possint. Audi igitur argumenta, quæ viros eruditos, & veritatis studiosos convincere possunt. In primis, ejusmodi Epistolæ Decretales priscis Romanis Pontificibus ideo affictæ dicuntur, quia sub finem septimi sæculi consistunt, & consarcinatae fuerunt, quippe quæ sententiis Canonum, Legum etiam Civilium, & Sanctorum Patrum, qui in quarto Ecclesiæ Sæculo floruerunt, magna ex parte, turpi Anachronismo contextæ sunt, ut Sole clarius ante Blondellum in Prolegomenis Pseudo-Isidori cap. 13. evicit Bellarminus in Dissertatione inedita. Unde patet, harumque consarcinatorem Epistolarum reum esse turpissimi plagii, & longe posteriorem ætate Romanorum Pontificum, qui primis tribus Sæculis Sedem Romanam tenuerunt. Idque luculentius confirmari potest ex Scripturæ Sacræ textibus, qui passim in his Epistolis Decretalibus laudantur juxta Versionem vulgatam a S. Hieronymo in quinto sæculo concinnatam. Qui autem fieri potest, ut Romani Pontifices, qui tribus primis Sæculis Ecclesiam rexerunt, Scripturam Sacram in suis Epistolis Decretalibus usurpaverint, atque citaverint juxta Versionem, quam adornavit S. Hieronymus, & quæ, ut norunt omnes, progressu tantum temporis auctoritatem in Ecclesia obtinuit? Ad hæc, accedit styli similitudo, idemque plane in omnibus illis Epistolis Decretalibus dicendi, & scribendi character, qui evidenter probat, eas non a diversis Pontificibus, sed ab uno potius Authore fuisse exaratas, qui semper, inter scribendum, usus est eodem stylo, eoque sordido, ac barbaro, qui sane ab elegantia, & pura priorum Ecclesiæ Sæculorum latinitate omnino alienus est. Porro, nulla ratione verosimile reddi potest, veteres Pontifices, quos constat, studiis, doctrinaque haud vulgari fuisse exultos, data tamen opera voluisse, instar hominum ex infima vulgi face, suas Epistolas culinarii sermonis sordibus conspurcare. Nullus etiam, si tantisper præjudiciis liber sit, suum in animum inducere poterit, veteres illos Pontifices falsis Consulatum notis suas consignasse Epistolas, sicut apparet legenti illas Epistolas Decretales, quæ sub veterum Pontificum nominibus circumferuntur, & multis Anachronismis in designandis Consulibus notis turpissime sordantur. Uno verbo, has Epistolas Decretales, quæ priscis Pontificibus adscribuntur, nullas ante nonum Sæculum ne nominavit quidem, non S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. non Siricius, non Innocentius, non S. Leo, alique Sanctissimi Pontifices; non ullum octo priorum Conciliorum Œcumenicorum; non Photius antiquitatis indagator studiosissimus, & immensæ lectionis autor. His, & aliis id genus argumentis, quæ in rem tam liquida producere supervacaneum omnino esset, palam evincitur, Epistolas Decretales, quæ sub veterum Romanorum Pontificum nominibus pro-

prostant, non esse genuinas, sed spurias & supposititias, quæ tamen, cum bene multa veritati, & pietati æprime consentanea complectantur, non debent Hæreticorum spiritu, quo afflatus fuit Blondellus, conviciis proscindi, ac lacerari.

D. Tam solidis, quas adduxisti, rationibus, sicut & Critices disciplinæ peritorum iudicio fasces submittit, & omnia, quæ hætenus dixisti de priscis Pontificibus, qui Romanam Sedem in tribus primis sæculis occuparunt, oppido quam libenter accipio. Nunc a te discere percipio originem, & seriem Episcoporum, qui Sedem Alexandrinam, cæteris, post Romanam, dignitate præminentem in tribus primis sæculis tenuerunt. Sed circa hanc Sedem Alexandrinam opportune venit in mentem Historia, quam nudius tertius audivi a quibusdam Monachis, qui Monachus ut adstruerent antiquitatem, agebant S. Marcum Evangelistam, qui fuit primus Sedis Alexandrinæ Episcopus, instituisse prope Urbem Alexandriæ societatem Christianorum, quorum religiosum cultum, & austerum, durumque vitæ genus graphice describit Philo Judæus in libro *de vita Contemplativa*, quosque, si bene memini, appellat *Therapeutas*, seu Cultores, eoquod relictis Civitatibus, in agro, & solitudine degentes orationibus, contemplationi, aliisque id genus piis exercitiis noctu diuque vacabant. Huic igitur Christianorum societati a S. Marco institutæ originem Monachus acceptam referri debere mordicus pertendebant Monachi. Nunc quid tu hac de re sentias, & an hæc Historia vera sit, vel potius inter aniles fabulas recensenda, aperire hæud graveris.

M. Hic profecto non levem proponis difficultatem, in qua dirimenda necdum convenit inter viros eruditos. Eusebius lib. 2. Hist. Eccles. cap. 17. hos Therapeutas, quorum mentionem facit, & mores, vivendique normam describit Philo Judæus, Christianos fuisse affirmat. Scaligerus vero lib. 6. *de emendatione temporum*, & Valesius in notis Eusebianis lib. 2. cap. 17. autumant, illos Therapeutas fuisse Judæos. Sunt alii, qui cum Baronio ad annum Christi 64. existimant, istos Therapeutas fuisse Monachos, & ab his manasse vitæ Monasticæ originem. Verum, si mihi tot inter eruditos viros meum liceat interponere iudicium, crediderim ipse cum Eusebio, illos Therapeutas fuisse quidem Christianos, at illos Monasticam vitam fuisse professos, nulla ratione mihi persuadere possum. Institutum quippe Monachorum, qui a plebe profus secreti & ab ejus societate penitus avulsi erant, longe post tempora Philonis Judæi, qui S. Marci Evangelistæ ætate florebat, cœpisse, liquido patet ex vita S. Pachonii, quam Bollandus in Actis Sanctorum die xiv. mensis Maji inseruit, ac illustravit. Author siquidem illius vitæ discrete asserit, S. Pachonium esse primum Institutorem Monachorum, idque probat ex verbis S. Antonii, qui vitæ Monasticæ originem ad S. Pachonium refert: *Quo ego tempore*, inquit S. Antonius, *Monachum cœpi agere, nullum usquam extabat Cœnobium*: & paucis interjectis, sic prosequi-

tur: *Postea Pater vester* (Sacchæum alloquitur S. Pachonii discipulum) *tantum bonum Deo adjuvante effecit*. Cum igitur, teste S. Antonio, ante S. Pachonium nullum adhuc extaret Cœnobium, non video qua ratione dici possit, Therapeutas, quorum vivendi normam describit Philo, fuisse Monachos. Præterquam quod Monasticum institutum non ferebant gravissimæ persecutiones, quibus in tribus primis Ecclesiæ Sæculis Ethnicæ Imperatores in Christianos omnes grassabantur. Hinc merito *Hofstenius* in præfatione ad Regulas veterum Monachorum arcessit dumtaxat vitæ Monasticæ originem ab ætate Constantini Magni, seu a quarto Ecclesiæ Sæculo. Tunc enim Sancti Patres Athanasius, & Hieronymus primorum Eremitarum vitam descripserunt, quorum nomen, sicut & Monachorum in tribus prioribus sæculis erat omnino ignotum, sicut constat ex silentio S. Ignatii Martyris, Tertulliani, & S. Cypriani, qui licet Viduas, & Virgines Deo sacras in suis Operibus commemorent, de Monachis tamen ne verbulum quidem habent. Denique, illi Therapeutas, quorum meminit Philo Judæus, cohabitabant cum Mulieribus ejusdem instituti, quas Philo appellat *Therapeutrias*, idest, *Cultrices*. Porro, in tota retro antiquitate temporum plane inauditum est, Monachos aut Mulieres habuisse, aut contubernales illas habere potuisse. Therapeutas igitur non fuerunt Monachi, sed erant Christiani, qui ob singularem, qua præfulgebant, pietatem, dicti sunt *Ascetæ*, ut scribit Eusebius loco mox a me laudato. Ascetæ siquidem priscis temporibus vocabantur illi, qui inter Christianos strictius quoddam, & durius amplectebantur, ac profitebantur vitæ genus, quique distant a Monachis, ut genus distat a specie. Ascetæ etiam semper fuerunt in Ecclesia, at Monachorum nomen, & institutum serius cœpit.

D. Proponam, cum bona tua venia, scrupulum, qui circa illam Therapeutarum Historiam hæret adhuc animo, quem mihi eximas velim. In primis, non mihi verosimile videtur, Philonem Judæum tot elogiis efferre voluisse Christianorum mores, adeoque per Therapeutas indigitasse Christianos. Deinde, illi Therapeutas, ut ex Philone Judæo observasti, cum Mulieribus habitabant, quod sane alienum est a moribus Christianorum, qui antiquitus vitam asceticam profitebantur, & Mundo, ejusque deliciis nuncium remittentes, consortia Mulierum, quibus nihil damnosius, nihil periculosius esse potest, sedulo vitabant. Therapeutas igitur Christianæ Religionis nomen dedisse, ex Philone Judæo colligi minime potest.

M. Quamvis Philo fuerit Judæus, difficile tamen creditum non est, eum descripsisse, ut oculatum testem, Christianorum sui temporis mores, eosque, sicut scribit Eusebius, sententia, & opinione sua vehementer approbasse. Numquid Josephus non fuit Judæus? & tamen ipse cap. 4. lib. 18. Antiquitatum Judaicarum, vitam, miracula, & Resurrectionem Christi Servatoris nostri egregio testimonio commendat, tanquam fidelis, & accuratus Historicus, qui, semoto omnium partium studio, veritati tantum in his, quæ narrat, lita-